

mentes, quam infima spe nixi, bellum cum acerrimo ac potentissimo hoste suscepissent. Ceterum Pius Pontifex nullis fractus laboribus, quo vehementioribus fluctibus obsistendum erat, eo magis cœptum urgere; dies noctesque pro fœdere insudare; quibus interjectæ difficultates auferrentur, solícite inquirere. Quapropter novam formulam regiis, ac Suriano, Reipublicæ legato, examinandam exhibuit, eamque ad Regem, ac Senatum perferendam curavit; quæ cum in Hispaniam, citatis itineribus, antequam per Surianum ad Senatum deferretur, a regiis missa esset, curas Patrum Hispanorum artes expendentium ingeminavit. Quapropter statim legatis in Hispaniam perscribendum decernitur, Philippo significant, quod fœderis leges, de quibus Romæ actum fuerat, ad illum perlatae sint, nihil optatius Senatui contingere potuisse, cum certo sibi persuadeat, quæ subtiliter admodum, atque acute, parum attamen ex communi utilitate a suis Romæ agitata sint, eadem ab illius excelsi animi magnitudine, cuncta ex christianæ reipublicæ commodo metientis, corrigenda esse; in easque societatis leges venturum, quas Carolus pater, qui omnia insita sibi divina prope sapientia circumspexerat, anno M. D. XVII. fuerat amplexus. Adjicerent, nonnulla in præscripta formula perlegi, quæ officere fœderi baud parum videbantur, ut nempe autumnò de socialibus viribus, atque expeditionibus decerneretur; ut Turcis aliqua fœderatorum loca invadentibus, ad mutua auxilia exhibenda socii obstringerentur: ea nimirum supervacanea, communibus pactionibus repugnantia videri. Enixissime præterea curarent, ut de infligendis excommunicationum poenis caput amoveretur: inde parum sociis dignitatis, multum incommodi esse perventurum. Quid enim indignius, quam in sacro hoc fœdere suspicionum semina serere, tanquam nullo religionis, nullo, nisi anathema quoque adjiciatur, jurisjurandi vinculo satis unquam devinciri Principes possent? Quid si aliquis Pontifex, ut hominum ingenia plerumque avaritia, ac libidine dominandi aguntur, ea conditione aliquando abutatur, suisque privatis rationibus publico obtentu consulat? Neque enim hæc nova, aut inusitata iis videri, qui rerum usu, ac præteritorum temporum eventis edocti, quo imperii cupido mortalium mentes impulerit,

Senatus
mandata de
fœdere ad
oratores
apud Phi-
lippum Re-
gem.